



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Variorum In Europa Itinerum Deliciæ**

**Chyträus, Nathan**

**[Herborn], 1599**

**VD16 C 2803**

Regiomonti Borussiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)

REGIOMONTI  
BORUSSIÆ.

VETERIS COLLEGII INSCRIPTIO.

Qui regit indomito præstantes Marte Borussos,  
Gymnasio Princeps hac dedit arma suo.  
Nempe duas Aquilas, invictum Heroaq; cuius  
Aonidas forti protegit ense manus.

IBIDEM.

Quando redemptoris post incunabula nostri  
Addita ter centum lustra duobus erant,  
Phæbus & undecies ternos compleverat orbes,  
Lucida qui cali signa pererrat equis:  
Hac erecta fuit doctis Academia Musis,  
Quas fovet ALBERTI cura benigna Ducis,

NOVI COLLEGII.

Hoc opus Albertus-Fridericus Marchio struxit,  
Patris ut impleret vota suprema sui.  
Debetur patri, debetur gratia nato,  
Quorum cum Musis gloria semper erit.  
Vive diu Princeps, & per vestigia patris  
Incedens pergas amplificare Scholas.

TEMPLI KNEIPHOFIANI  
MONIMENTA.

DOCT. MATTHIÆ STOLL.

Dum mihi vita fuit, rerum natura decusq;  
Mirantem studiis traxit ad astra suis.  
Flores decerpsti tantum sapientia inanes,  
Et mihi res plenè cognita nulla fuit.  
Nunc coràm mundi mysteria cerno, Deiq;  
Idq; mihi partum est sanguine Christe tuo,

Matthiæ Stojō Boruffo, Philosopho, Poëtæ, Mathematico & medico, Doctōri celeberrimo: nato anno Ch. 1526. d. 26. Aprilis, & pié an. 83. mortuo. Illustrissimorum Principum Boruffiæ Archiatro, & Professori Academiæ Regiomontanæ præcipuo, Catharina foror, uxor Domini Balthasari Hartmanni posuit.

Viro clarissimo & doctiss. Magistro Christophoro Preys Pannonio, à Springenburg, Eloquentiæ in hac Regiomontana Academia Professori, ejusdem conjugii dilectiss. Euphemiæ Stolpianæ, parentibus chariss. pietatis ergo mœsti liberi posuerunt. Anno Domini M. D. X C. quo ille 9. ipsa verò 18. April. pié in Christo obiit.

Sequentes versus idem de seipso fecit.

*Hic recubo chara cum conjugē Christophorus Preys  
Pannonius, patrio nomine post obitum.  
Qui qualis fuerim, novit Deus ipse, scio nil,  
Hoc nisi quòd Christi discipulus fuerim.  
Quo duce, si quidquam didici docuiq, quod esset  
Dignum laude, tibi laus ea Christe manet.  
Namq, tuus vivus sum, mortuus atq, sepultus,  
Speq, iterum tecum jam redi vivus ago,*

## A L I U D.

## U X O R I S S A B I N I.

*Uxor in hoc tumulo vatis jacet Anna Sabini,  
Fœmina non humili qua fuit orta loco.  
Ad celebres Albis, patre nata Melanchthonè, ripas,  
In quibus Aonidum plectræ morventur, erat.  
Utq, viros inter doctos pater eminent omnes,  
Quo non majus habent tempora nostra decus:  
Sic quoq, laude sua matronas inter honestas  
Claruit, ac tanto digna parente fuit.  
Ipsemet infantem tulit ad baptisma Lutheri,  
Quando salutifera perlueretur aqua:  
Eruditq, piis monitis, ut adulta timeret  
Ac coleret vera religione Deum.*

Quin & docta fuit linguaq; perita Latina,  
 Nam Latio poterat reddere verba sono.  
 Nec minus ore decens, & honesto praeclata vultu  
 (Laudari facie si qua meretur) erat.  
 Annos bis septem florente peregerat aëvo,  
 Legitimi consors est ubi facta tori.  
 Inde remota procul natalibus absfuit oris,  
 Cumq; suo vixit conjugē lustra duo.  
 Et semel aucta fuit tantummodo prole virili,  
 Natas Lucina quinq; favente dedit.  
 Frigida mors animam placidē subduxit & artus:  
 Pars melior calo est reddita, corpus humo.

## ALBERTI, SABINI F.

Alberti gelida consumpti morte Sabini  
 Filioli sunt hic ossa sepulta mei.  
 De quo magna quidem, sed inanis, facta parenti  
 Spes mihi, detraxit quam fera Parca, fuit.  
 Corpore robustus, teneris animosior annis,  
 Ingenio præstans, ore venustus erat.  
 Indicat infelix operosi cura sepulchri,  
 Quanta mihi misero spes sit adempta patri.

IDEM SABINUS CHRISTOPHORO  
filiolo suo.

Tu quoq; Christophori nomen qui nate gerebas,  
 Magna senescentis spesq; parentis eras,  
 Conditus hic dormis, & eodem juncta sepulchro  
 Hic tua fraternis ossibus ossa cubant.

Obiit prid. non. Jun. M. D. LIII.

Viro clarissimo, pietate, virtute & doctrina præstantis-  
 simo, Domino Ambrosio Lobvassero, J. U. D. Illustriss.  
 Principis Borussiae Consiliario atq; Professore, qui obiit  
 XXVII. Novemb. an. 1585. cum vixisset annos LXX. men-  
 ses VII. dies XXII. in memoriae immortalitatem, amo-  
 risq; singularis, & gratæ mentis significationem, poni cu-  
 ravit frater Michael Lobvasser.

EPITAPHIUM QUOD DE SEIPSO  
moriturus fecit:

*Expertus mundi vanas res esse NIHILQUE,  
Hic quoq; nunc jaceo pulvis & umbra, NIHIL,  
Sed qui de NIHILO calum terramq; creavit,  
Me cum carne mea non sinet esse NIHIL.  
Hac spe NIL mortem feci, NIHIL omnia feci,  
NIL NIHILI vermes posse nocere scio.*

*Mortuus ut superas abiit Keuterus in oras,  
Dives opum, sed plus dives amore Dei,  
Publica res, inopumq; cohors miseranda, tuiq;  
Christe ministerii tristis & orba cohors,  
Ad tumulum flere, fuit vox omnibus una,  
O pater, o tutor. plura dolor vetuit.*

Obiit 89. 12. Martii.

IN TEMPLO VETERIS OPPIDI.

*Qua te Christe ligant scelerum sunt vincula meorum,  
Vincula sed vinculis sunt mea rupta tuis.  
Libera mens fruitur calo: scelerumq; soluta  
Mole, caro vita spem melioris habet.*

*Christophorus hac in aede Winterus cubat,  
Sapiens vir, eruditus, integer, pius,  
Et eloquens dum vixit: hunc scientia,  
Ac vita honesta ab infimo Schola loco  
Evexit ad non infima hujus munia  
Urbis, foriq; jura civilis dedit  
Ei afferenda: mox in ordinem quoq;  
Lectus Senatorum, modesté Consulis  
Accepta justis frena rexit legibus:  
Saturq; honorum, lustra post vita undecim  
Deum videns, hoc a suis heredibus  
Monimentum habet fama atq; gratitudinis.*

Christophoro Wintero Grimmensi, pietate, doctrina,  
virtute, prudentia praestanti viro, pie hac mortali vita ce-  
functo xxv. Sept. Anni M. D. LXXXV. cum Senator in-  
sist

isset hujus urbis totos annos xxv. relicta vidua & liberi  
H.M.P.C.

## SAMUELIS KEUTERI.

Hoc dilecte tibi monumentum pono marite,  
Connubii consors Barbara fida tui.  
Extet ut aeternum sinceri pignus amoris,  
Quo mihi tu junctus, quo tibi juncta fui.

## LEONHARDI SCHMIDLINI.

Francia quam dederat rapuit mihi Prussia vitam,  
Aut potius repetit, qui dedit, ipse Deus.  
Consule, qua juvenis, qua vir non infima gessi  
Munera; qui dubitas de pietate mea?  
Ter denos vixi, bis quattuor insuper annos,  
Ultima pars morbo perpete dura fuit.  
Laus tibi, quo morbum vici duce, quo duce mortem,  
Christe, sit, o anima vita salusq; mea.  
Obiit anno 1588. 20. Aprilis.

## ANDREÆ BORCHHAGEN.

Defunctus alloquitur vivum.  
Quid letare miser? quid inania gaudia tractas?  
Et tua calicolas facta latere putas?  
Aspice me, pravosq; tuos hinc corrige mores.  
Tu quod es, ipse fui, sum quod ego, illud eris.  
Obiit anno 1580. 9. Octobris.

PRINCIPUM BORUSSIÆ  
Epitaphia.

## ALBERTI PRIMI.

Invicta virtute potens belloq; togaq;  
Hac jacet Albertus Marchio tectus humo.  
Teutonico pater illius prognatus Achille;  
Regis Casmiri filia, mater erat.  
Pro Marianorum, titulo cessante, Magistro  
Agnovit primum Prussia culta Ducem.

Prima illi conjunx Danorum regibus orta,  
 Altera erat Guelphos qua numerabat avos.  
 Sacra repurgavit fido monstrante Lutero,  
 Struxit & egregia culta Lycea schola.  
 Pacificus, justus, prudens, pius atq; benignus,  
 Doctorumq; fuit doctus & ipse pater.  
 Hoc duce creverunt & opes & publica terra  
 Commoda, qua patria juvit & auxit ope.  
 Quinquaginta & sex his terris praefuit annis,  
 Undecies septem vivere fata dabant.  
 Ergo patris patria memor esse Borussia debes,  
 Proq; salutaris principe grata Deo.  
 ALbertVs MorItVr Die GVbertl.

## DOROTHEÆ CIMBRICÆ.

Hic jacet Alberti primi Ducis inclyta conjunx,  
 Qua patre Danorum rege creata fuit.  
 Maternumq; genus pralustri duxit ab ortu,  
 Mater Teutonici neptis Achillis erat.  
 Et quo dicta fuit, dignam se nomine gessit  
 Dorothea: donum nam fuit ipsa Dei.  
 Non tantum voluit Princeps, sed mitis haberi,  
 Mater & est inopum commiserata vicem.  
 Virginibus, quarum fuit orba parentibus atas,  
 Pronuba consortes tradidit ipsa tori.  
 Nec dedignata est humiles intrare penates,  
 Et medicas agris applicuisse manus.  
 Adfuit & gravidis nuribus, partuq; levatis  
 Miscuit, ut nutrix officiosa, dapes.  
 Sacra colens etiam divinis tradita scriptis,  
 Nil habuit vera religione prius.  
 In populi cœtu doctos audire solebat,  
 Omni pané die verba referre Dei:  
 Nec meritis hominum, sed Christi morte redemptam  
 Seq; pia justam credidit esse fide.  
 Adde quod ipsa suum dominum constanter amavit,  
 Inq; vicem á domino semper amata fuit.  
 Corpore namq; decens, & amabilis exiitit omni  
 Laude: fugax lit is, sobria, comis erat.

Edidit

Edidit in lucem duo mascula pignora lecti,  
 Fœminea quater est facta q̄ prole parens.  
 Deniq̄, suscipiens Musarum provida curam,  
 Nobile Gymnasti cum Duce struxit opus.  
 Jamq̄, duos annos mensesq̄, peregerat octo,  
 Post octo vitæ lustra, decemq̄, dies;  
 Cùm, desiderium non uni triste relinquens,  
 Heu præmatura morte soluta fuit.  
 Illius immensum peperit jactura dolorem  
 Omnibus indigenis, Prussia quotquot habet.  
 Ad superos animi rediit vigor: ossa sepulchro  
 Inq̄, beatorum spe tumulata cubant.

Obiit diem III. Idus Aprilis anno

M. D. XLVII.

---

ANNÆ-MARIÆ GUELFIÆ.

Hic etiam Alberti primi Ducis altera conjunx  
 Dormit, & una ambos contegit urna Duces.  
 Guelforum illustri generata à stirpe parentum  
 De claris habuit nobile nomen avis.  
 Qui virtute sua, factisq̄, insignibus olim  
 Æternum fama promeruere decus.  
 Ad gelidas Fulda ripas pater atq̄, Visurgin  
 Saxonia princeps natus Ericus erat.  
 Mater at Elisabes Joachimi filia primi  
 Nostro etiam fuerat stemmate juncta duci.  
 Utq̄, avia & Christi genitricis nomina gessit;  
 Ambarum mores sic imitata fuit.  
 Et pietate sua, vitæq̄, illustribus actis  
 Divinas animi significabat opes.  
 Namq̄, fide in Christum salvantis dogmata verbè  
 Omnibus in mundo prætulit illa bonis.  
 Atq̄, ministrorum verbi miserata labores,  
 Munifica afflictos saepe levavit ope.  
 Comis, honesta, gravis, placido sibi pectore cives  
 Adjungens, inopum sedula mater erat.  
 Quid referam fidei & constantem cordis amorem,  
 Consociata suo quo fuit illa Duci?

D d

*Inq̄ vicem princeps illam complexus amabat,  
 Namq̄ decens & amans simplicitatis erat.  
 Nunc ceu vita duos jungebat & una voluntas  
 Sic mors non potuit disociare Duces.  
 Illa sui quoniam sub eadem luce mariti  
 Funus honorata morte secuta fuit.  
 Post sese thalami natum natamq̄, reliquit  
 Pignora, bis charo é conjugé facta parens.  
 Cumq̄, duos annos & septem lustra tulisset,  
 Cum Duce in hoc posuit corpus inane solo.  
 Spiritus alta, polo moriens quem tradidit, astra  
 Sub pedibus cernens vitam agit ante Deum.*

ILLUSTRISSIMÆ ET LAUDATISS. PRINCIPI  
 Elisabethæ, natæ patre Joanne Marchione Brandeburgi-  
 co, Illustriss. Princeps DD. Georgius-Fridericus Marchio,  
 Dux in Borussia conjugi

B. M. L. P.

*Varta niger rapidis Viadri qua jungitur undis  
 Divina in lucem produit Helisabe.  
 Helisabe magni conjunx Ducis illa, Borussos  
 Qui simul & Francos Elysiosq̄, regit.  
 Marchio Custrini Dominus, belloq̄, togaq̄  
 Clarus & acer erat, Guelphica mater erat.  
 Johannes, inquam, genitor, Catharinaq̄, mater,  
 Eximium generis lumen uterq̄, sui.  
 Hos imitata duces, teneris assuevit ab annis  
 Æternum veri numen amare Dei,  
 Teq̄, simul, verbumq̄, tuum sanctosq̄, labores,  
 Fili hominis, fili maxime Christe Dei.  
 Illius in solis precibus templisq̄, voluntas,  
 Hic habitans mundi nescia pené fuit.  
 Chara tamen populo, charo jucunda marito  
 Ingenio, forma, moribus, obsequio.  
 Pieridum faulrix, inopum fidissima nutrix,  
 Sacraq̄, curantum mater amica fuit.  
 Arctos PrInCeps aCCItVs regIs In orat  
 Hlberno LongVM sVb IoVe seClIt Iter.*

Hunc dominum comitata suum, nam semper utramq;  
 Cum domino sortem ferre parata fuit,  
 Occidit, heu, vita ter denis junxit ut annis  
 Sex super, ad ripas Istula magne tuas.  
 Teq; novis auctum titulis Friderice-Georgi  
 Ire novas etiam compulit in lachrymas.  
 Exuvias habet iste locus, mens cessit Olympo,  
 Inq; tuo vivit Christe beate sinu.  
 Disce mori, tumulumq; hospes venerare piorum,  
 Scilicet ante Deum mors grave pondus habet.

## LABOR.

O labor, ô sudor, scelerati premia morsus!  
 Ah satis est, natos occule terra tuos.

Sanguine mundata est Ecclesia, sanguine coepit;  
 Sanguine succrevit, sanguine finis erit.

O phoenix redi virve tuo me conde sepulchro,  
 Ut dira effugiam jura superba necis.

## QUIES.

Inveni portum. spes & fortuna valet.  
 Nil mihi vobiscum; ludite nunc alios.

## ELBINGAE.

EPITAPHIUM UXORIS D. MAT-  
 thiae Stoi; marito ipso autore.

Hic sita Matthia Stol lux, vita, voluptas,  
 Agnes vitali lumine functa cubat.  
 Indole que subnixa sua, curaq; parentum  
 Adjuta, exemplar dulce pudoris erat.  
 Plusq; in virtutem posuit, quam dona caduca,  
 Equa viro officiis & pietate Deo.  
 Vitaq; labe carens, & in omni parte modesta,  
 Lingua in consiliis, inq; ope prompta manibus

D d ij

*Signa dabant motus á sacro flamine nasci,  
 In cerebro & sensus hoc agitante regi.  
 Nec virtutum umbras, sed signa expressa gerebat,  
 A fastu & luxu mens aliena fuit.  
 Sorte sua iurvit peregrina sortis egentes,  
 Ac in membra domus non hera, mater erat.  
 In morbo fulsere preces, fiducia CHRISTI,  
 Quae sola acceptos nos facit esse Deo.  
 Haec tamen exuvia cum templum numinis essent  
 Numinis & templum nobile rursus erunt.  
 Credibile est ipsam saltem requiescere terris,  
 Mors in templa Dei nil quia juris habet.  
 Deo Opt. Max. P.F. & SS. sacrum.*

EPITAPHIUM DN. VALENTINI BODDE-  
 geri, ad imaginem ossium redivivorum  
 apud Ezechielem.

*Memento rebus vanidis diffidere.  
 Opes, genus, forma decor, caduca sunt.  
 Ad ossa nuda mors reducit omnia.  
 Calo repostus optimus thesaurus est.  
 Quem cum Valentinus vir omnium optimus  
 Bodgerus esset persecutus unicé  
 Dum viveret, contemneretq; vanidas  
 Pro vanidis aeterna consecutus est.*



## IN ARCE MEMELAEA.

Joan. Albertus Dux Megapol. Annæ sorori sponse, dis-  
 cedenti in Curlandiam:

*Exoritur tristis te discedente querela,  
 Et lacerat mentem sollicitudo soror:  
 Sed valeat mæror, valeant suspiria mæsta,  
 Et lacrymæ valeant, improba cura vale.  
 Omne te Dominus lato deducat, & addat,  
 Sis felix rebus, connubioq; vale.*

XXVI. Martii anno M. D. LXVI.  
 SALIS.

SALISBURGI.  
IN NOSOCOMIO AD S.  
SEBASTIANUM.

Conditur hic Philippus Theophrastus, insignis Medicinæ Doctor, qui dira illa vulnera Leporam, Podagram, Hydropisim, aliâq; insanabilia corporis contagia mirifica arte sustulit: ac bona sua in pauperes distribuenda collocandaque honoravit. Anno M. D. XLI. die XXIII. Septemb. vitam cum morte mutavit.

*Aurea pax vivis, requies aeterna sepultis.*



OENIPONTI.

IN TEMPLO MONASTERII.

Imperatori Cæs. Maximiliano Pio, Felici, Aug. Principi tum pacis tum belli artibus, omnium ætatis suæ Regum longé clarissimo, sub cuius felici imperio inclyta Germania, dulcissima ipsius patria, tam armis, quàm literarum studiis, plus quàm unquam antè hac, florere, caputq; super alias nationes extollere cœpit. cuius insignia facta tabellis interioribus, quamvis sub compendio, expressa conspiciuntur, Imp. Cæs. Ferdinandus Pius, Felix, Augustus, avo paterno perquam colendo, ac bene merito, pietatis atq; gratitudinis ergó P. Natus est XXVII. Martii. Anno Domini M. CCCC. LVIII. Obiit anno Domini M. D. XIX. die XII. Mensis Januarii.

CHRISTO O. M. S.

Wolfgango Haller, patricio Nurenberg. divique Cæs. Max. ac deinceps invictiss. Imp. Caroli v. Consiliario, & Tyrolen. Palatii Camerario, Germanicæ nobilitatis cul-

Dd iij

tori observantiff. qui obiit anno Domini M. D. XXII.  
x. Kal. Decemb. Tyrolen. Nobilium Ordo F. C.

IN TEMPLO MONASTERII,  
sub colossis aeneis.

I.

Clodoveus der erst Christenlich König von Frankreich.

II.

Albrecht der Weis Erzhertzog zu Osterreich/ein Sohn  
König Albrechts des Sighaften. 1528.

III.

Fraw Maria Blanca Röm. Königin. M. D. XXV.

IV.

Karl Herzog zu Burgund/ zu Brabant/ zu Geldern/  
Grave zu Flandern.

V.

Fraw Johanna Königin zu Castilien, König Philips  
gemahl. 1528.

VI.

Ferdinand, König zu Hispanien Keyserlicher vñ Kö-  
niglicher Maiestat Altvatter.

VII.

Fraw Elisabeth König Sigismundi tochter von Un-  
gern/ Albrecht des fünften von Osterreich/ Römischen/  
Hungerischen / Behmischen Königs gemahel / Königs  
Laslaw Mutter. 1529.

VIII.

Godfrid von Bulian König zu Jerusalem.

IX.

König Albrecht der erst Herzog zu Osterreich. 1527.

X.

Friderich Herzog zu Osterreich/ zu Steyr/ zu Kärnten  
und zu Crain/ Grave zu Tirol.

XI.

Fridericus tertius Imperator, Divi Imperatoris Maxi-  
miliani pater.

Albrecht

## XII.

Albrecht von Osterreich/Römischer/Ungertischer/und  
Behaimischer König/Laslaw vatter.

*Reliqui XVI. colossi carent inscriptionibus.*

ADERANT IBIDEM BASES QUÆDAM  
æneæ sine signis, quarum tres sic erant  
inscriptæ.

## I.

Dietrich von Bern König in Italien, Hispanien, und  
Gothorum.

## II.

Artus König in Engelland.

## III.

Philips König in Castilien, und Granaten / Erzherz  
zog zu Osterreich vñ Burgund / Graf zu Habsburg. 1533.



AD OENIPONTUM,  
IN COENOBIO  
Stamsiano.

DN. SEVERINI DUCIS SAXONIÆ  
monumentum.

**A** Ere Severinus princeps hoc clauditur: artes  
Cum natis regis dum colit ille bonas.  
Indole magnanima jam patrem æquabat avumq;  
Quos celebrat summos Saxonis ora duces.  
Augustus fieri hac fratri monumenta jubebat,  
Post messem undecimam, quem tulit atra dies.

DN. SEVERINO, Duci Saxonix, ad Henrici patris &  
Alberti avi virtutem, indole pietatis ac magnanimitatis  
aspiranti, patrie in spe summa erepto, Dn. Augustus frater  
P. C. Toti genti Saxonice luctum, liberis Regiis, quibus-  
cum educabatur, desiderium reliquit. Vixit ultra annum  
XI. mens. I. dies XII. Obiit an. 1533. VI. Id. Octob.

Dd. iij

INTER OENIPONTEM ET BRIXIAM  
prope vicum Steinacum.

Imp. Cæsari Car. v. P. F. Aug. ex Hispania Italiaq; susceptis imperialibus coronis, adveniēti: & Ferdinando Hungariæ Bohemiæq; Regi, é Pannoniis occurrenti: optimis principibus: ad perpetuam pub. lætitiæ memoriā, quod fratres annos ante IIX. digressi; summis inter mortaleis honoribus, regnis, triumphis aucti; hoc in loco salvi sospitesq; convenerunt. 1530.

Frid. Franlius á monte niveo, Steinaci præfectus, mandato regio F. C.

IBIDEM IN ARCU TRIUMPHALI  
sparsa leguntur.

*Juppiter in calis, Cæsar regit omnia terris  
Carolus, qui summo stirpis honore micat.*

*Captus erat Gallus: coeunt cum rure cohorteis.*

*Altera post captos Gallos, populiq; furoreis  
Æstas, te capta, Roma, cruenta fuit.*

*Cæsar in Italiam quo venit Carolus anno,  
Cincta est Riphæis nostra Vienna Getis.*

*Frater adest victor: redeunt Didonia regna:  
Sic Asia imperium sentiat ipsa tuum.*

*Quid mæres pallesq; audito nomine Turci?  
Fide Deo: salvo principe, sospes eris.*

*Carolus Hesperis regnat: Fernandus Eois.  
Quam bene divisum est fratribus imperium!*

*O te felicem! nam cui Germania paret,  
Commisit fidei pignora cara tua.*

Gallus amicus Aquilæ: cavete parvæ volucres.

C O N.



# CONSTANTIAE.

## EPITAPHIUM

MANUELIS CHRYSOLORÆ.

**I**lle ego qui Latium priscas imitari artes  
 Explosis docui sermonum ambagibus, & qui  
 Eloquium magni Demosthenis & Ciceronis  
 In lucem retuli, Chrysolores nomine notus,  
 Hic sum, post vitam peregrina sede quiesco.  
 Huc me Concilii deduxit cura, trium dum  
 Pontificum Ecclesiam vexaret seua tyrannis.  
 Roma meos genuit majores; me bona tellus  
 Byzantina tulit: cineres Constantia servat.  
 Quo moriare loco nil refert, undiq; calum,  
 Pœnarumq; locus mensurâ distat eâdem.

---

### IN SAXO FORNICIS.

Ante aram situs est D. Manuel Chrysolora, miles Constantinopolitanus, ex vetusto genere Romanorum, qui cum Constantino Imper. migrarunt: vir doctissimus, prudentissimus, optimus, qui tempore generalis Concilii Constantiensis diem obiit, ea existimatione, ut ab omnibus summo sacerdotio dignus haberetur, die 15. April. Conditus est anno 1415.

---

# M A E M I N G A E.

D. O. M. S.

**H**oc Maria in tumulto ducit post fata quietem  
 Felix conjugio, stemmate, prole, fide.  
 Hervvorti siquidem pietate & sanguine clari,  
 Dum licuit, conjunx par in honore fuit.  
 Et bene Lucina Christoq; favente, reliquit  
 Ter tria legitimi pignora cara tori.

D d v

*Deseruit tenebras: & sede recepta piorum,  
Dulcia perpetua gaudia lucis habet.*

Jo. Henricus Hervvortus Patr. Aug. Ma-  
riae Hainzeliae conjugii honestiss. moe-  
stus M. H. F. C. Ob. 1564. a. d. 28. Janu-  
ar. Vix. an XXXIIX. M. V. D. XII.



## COLMARIÆ. IN CURIA.

**O**ceanus quamvis fluctus pater excitet omnis:  
Danubiumq; omnem barbare Turca bibas:  
Non tamen irrumpes perfracto limine: Cæsar  
Dum Carolus populis bellica signa dabit.  
Sic sacra quercus firmis radicibus astant:  
Sicca licet venti concutiant folia.

### GYMNASII IBIDEM.

Patres reipub. qui docendis atq; discendis, cum litte-  
ris, tum moribus ædes hasce posteritatis ergo FF. hortan-  
tur pergere, & macte virtute esse adulescentis, iisq; stu-  
diis incumbere, quibus & sibi honori, & amicis gaudio, &  
reip. emolumento esse possint. An. Dom. 1539.

Expertes invidentiæ Mufar. fores.

### Ibidem ad D. Augustini.

*Nugamur, mortemq; procul procul esse putamus,  
At mediis latet hac abdita visceribus.  
Scilicet ex illa qua primùm nascimur hora,  
Prærepunt juncto vitæq; morsq; pede.  
Partem aliquam furtim, qua se metitur & ipsa,  
Surripit è vita qualibet hora tua.  
Paulatim morimur: momento exstinguimur uno:  
Ut lampas oleo deficiente perit.  
Ut nihil interimat; tamen ipso in tempore mors est:  
Et nunc interea dum loquimur, morimur.*

FRL



## FRIBURGI BRISGOIÆ.

**H**ULDRICHO ZASIO Jureconf. suorum temporum  
toto orbe celeberrimo: hujus Academiæ oryamento  
singulari: & Reip. Friburg. in restaurando jure municipa-  
li jam olim strenuam operam navanti, aliisq; multis no-  
minibus de se benemerito: Magistratus officii memor fie-  
ri jussit. Concessit naturæ Anno sal. c<sup>l</sup>o I<sup>o</sup> xxxv. viii.  
Cal. Decemb.

### A L I U D.

*Sparge sacro cineri flores, hac conditus urna est  
Fallerus Themidis gloria, juris honos.  
Maximus ille toga fatis ereptus iniquis,  
Nunc apud athereum jure tribunal agit.  
Is Huldriche tibi sub eodem pulvere Zasi  
Proximus ut tumulo, sic fuit ingenio.*

Obiit Anno sal. c<sup>l</sup>o I<sup>o</sup> LX. die xvii.  
Octob. ætatis suæ xxxviii.

### A L I U D.

Henricus Glareanus poëta laureatus, Gymnasia hujus  
ornamentum eximium, expleto feliciter extremo die, com-  
poni hinc ad spem futuræ resurrectionis providit, cujus  
manibus, propter raram eruditionem, candoremque in-  
profitendo, Senatus Reip. litterariæ gratitudinis & pie-  
tatis ergo monumentum hoc æternæ memoriæ conse-  
cratum, posteritati ut extaret erigi curavit. Excessit vita,  
anno sal. c<sup>l</sup>o I<sup>o</sup> LXIII. die xxviii. mensis Maji. ætat.  
suæ Lxxv.

### A L I U D.

Joanni Hartungo Miltenburgensi Ostofranco, Philo-  
sopho eximio, Græcarum litterarum in Academia hac

Friburg. xxx. amplius annis pub. Professori, eiusque singulari ornamento, Senatus Acad. ob pietatem, præclaræque eius in remp. litterariam merita, gratitudinis & officii ergo hoc monumentum P. qui vivens hoc sibi ipsi Epitaphium scripsit:

Πολλὰ καμῶν, καὶ πολλὰ παθῶν ἐν παιδοδιδασκειν,  
Ἐνθάδε νῦν κεῖμαι σὺν θεῷ ἠσυχίῃ.



SELESTADII.  
IN CATHEDRALI.

ΤΑ' ἄρ' βροτῶν ἐφήμερα,  
Βίῃ κάπνῃ, σκιάς ὄναρ,  
Εἶδωλον ἀνδρωπῆ ἔφου.  
Οὐκ ὄλεθ' ἔχρυσῶν, γένῃ,  
Τυραννίς ἐδ' ἀμορφία,  
Οὐδ' ἀμαθὲς μόρον φύγη.  
Βαίνει γὰρ ἐξ αἰφνης βροτοῖς  
Πολυμόχθοισι (λείβετε  
Νῦν δάκρυον) θεῶν μέγας  
Βεατὸν ἤρπαζεν νόθῃ  
Πρὸς ὀλβίων χόρως ἄγων.  
Ὅς ἦν μὲν ὄμμα πατείδῃ,  
Καὶ κλεινὸν δ' ἔχθ' ἀδύτωνων.  
Μέσασσι προσφιλέσαιθ'  
Ἑλληνικῶν, καὶ πρὸς  
Ῥωμαϊκῶν. σὺ δ' ἀτύχῃ.

Et pauló inferiús.

Πᾶσα μὲν ἐρανίη στρατῆ γήθησεν ἰονπ,  
Πᾶσα δὲ Σλετσαδίῳ ἐσονάχησε πόλις.

AD SINISTRAM.

## DEO OPT. MAX. SACRATUM.

Beato Rhenano, ex veteri Buldiorum familia, cujus excellens in omni genere doctrina, Græci & Latini linguarum cognitio, innocentia, humanitas, frugalitas, pudicitia celebris erit, donec rerum hæc universitas constabit. Studium antiquitatis declarant aliquot Latini scriptores sacri profaniq; ab eo purgati & prope integri restituti. Item Germania, quam omnem tum veterem tum novam mira diligentia tribus libris illustravit: viro magno, immortalisq; memoria digno; Rudolphus Bersius hoc pietatis monumentum posuit. O Argentorati, XIII. KL. Junii. Ætat. suæ anno LXII. à Christo nato MDIO XLII. Inde elatus hæc jacet, ne opt. ac doctiss. cive careret patria, quam vivus tot egregiis monumentis exornavit.

ET PAULO INFERIUS.

*Te capiunt lato venientem sidera plausus;  
Sed qua te genuit patria terra dolet.*



## ARGENTINAE.

## AD PRÆDICATORES

In conclavi Scholarum.

*C*edite pictores, hinc blandi cedite vates,  
Oratorq; tuo flumine constiteris.  
*Sturmius ut fuerat, non est imitabilis arti.  
Talis & ingenio, talis & ore fuit.*

Sturmiorum genti, cujus antiquitas à Rudolpho Habsburgio Romanorum Rege confirmata fuit, perpetuo nobilitatis Offenburgicæ beneficio: quod ab eo Wernherus Sturm. accepit: qui anno 1560. Senator erat. Jacobo item Sturm. ornamento majorum, exemplo nepotum, anno Christi 1524. Senatori, 25. xv viro, 26. xiii viro, sæpe Prætori, xci. ad comitia Imp. conventus Principum, civita-

tis legato: Quibus legationibus ab urbe abfuit annos prope novem: Qui gratis, majorum exemplo, patriæ consilere maluit, quàm Electorum & Principum consiliis, magno suo emolumento præfici: constitutis suo consilio Scholis: amplificata sua pecunia bibliotheca: auctisq; suo testamento Scholarum fructibus annuis 50 aur. argen. nato anno Christi 1489. mortuo 1553. Ætatis 64. pleno ac 10. Augusti, hebdomade 12. 30. Octobris: optimo civitate clarissimo viro: charissimo fratri: Fridericus & Petrus Sturmii, amoris, honoris, memoriæ, exempli ergo hæc tabulam posuerunt.

JOHAN. Sturmius F. Argentor.

An. 1560.

---

A L I U D.

Anno post millesimum 538. depositis armis, & pacatâ gravi inter Carolum v. Imperatorem Rom. & Franciscum I. Galliarum Regem, discordiâ, S. P. Q. Argentin. juventuti CHRISTIANÆ religione & liberalibus disciplinis instituendæ ludum literarium aperuit.

Præfesto primario Jacobo Sturmio,  
Rectore Joan. Sturmio.

---

AD PETRUM JUNIOREM.

Diu apparandum est ædificium, ut ædifices celerius.  
1494.

---

I N S U M M O T E M P L O.

Vetustiss. statuæ Fidei, Legem alloquentis, hæc verba tribuuntur:

Mit Christus blut iberwind ich dich.

Cui Lex respondet:

Dasselbe blut erblendet mich.

HEL